

De magna quadam encephali destructione eiusque sequelis : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Henr. godofredus Schneider.

Contributors

Schneider, Heinrich Gottfried.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Form. Brüsckianis, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yrf7452b>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DE
MAGNA QUADAM
ENCEPHALIDESTRUCTIONE
EIVSQUE SEQUELIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIV

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

FR. GODEFREDUS SCHNEIDER,

GOMERNIENSIS.

OPPONENTIBUS:

KLEWITZ, MED. DD.

FRIEBEZEISER, MED. CAND.

BERGER, MED. STUD.

BEROLINI MDCCCXXIV.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

MAGNA QUADAM
REPUBLICA
SICUTI

DISSENTATIO

IN

DE

REPUBLICA ET AUTOCRATIA

REPUBLICA

REPUBLICA

DE

REPUBLICA ET AUTOCRATIA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

REPUBLICA

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GRATIOSISSIMO

JOHANNI WIEBEL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CHIRURGORUM
REIQUE OMNIS MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO
SUMMO, AUGUSTISSIMI REGIS MEDICO PECULIARI, REGI
BORUSSIAE A CONSILIIS INTIMIS SUPREMIS, SECTIONIS
PRO SANITATE PUBLICA TUENDA IN SUMMO MAGISTRATU
RERUM CIVILIUM MEMBRO, SEMINARII REGII MEDICO-CHI-
RURGICI FRIDERICO-GUILELMAMI ET ACADEMIAE REGIAE
MEDICO-CHIRURGICAE MILITARIS DIRECTORI, COLLECII
BEROLINENSIS REM PAUPERUM CURANTIS MEMBRO, MUL-
TORUM ORDINUM INCLITORUM EQUITI AURATO, COMPLU-
RIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI. ETC. ETC.

ILLUSTRATION, GRAVING

JOHANN WIER

MEDICINAE ET CHIRURGICAE DOCTOR, CHIRURGUS
 BRUNNENSIUM, AUCTORITATE REGIAE MEDICAE FACULTATIS
 BOHEMIAE A CONSILIO SUPERINTENDENTIS
 REGIAE SANITATIS AUSTRIAE IN BRUNNENSI
 REGNI CIVITATIS MEMBRUM, ANNO REGNI MEDICI-
 REGNI FIDEI REGIAE BOHEMIAE ET SACCARUM REGIAE
 REGNI-CHIRURGICAE MILITARIS DIRECTOR, COLLEGIUM
 REGIAE BRUNNENSIUM REGNI FACULTATIS MEMBRUM, REGNI
 REGNI ORDINIS REGIAE REGNI AUSTRIAE, COMITUM
 REGNI SOCIETATIS REGIAE REGNI AUSTRIAE REGNI

UT ET

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO

C. G. NEUMANN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, NOSOCOMII CARITATIS MEDICO SECUNDO, CLINICI MEDICI, QUOD IN EODEM NOSOCOMIO EST DIRECTORI, SOCIETATIS EXAMINATORIAE MEDICAE MEMBRO PLURIUMQUE SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC.

ET DOCTRINAE ET MERITORUM

GLORIA SUMMA ORNATIS

TENUE HOCCE IUVENILE OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

P r a e f a t i o.

Cum in nosocomio magno Berolinensi, quod a Caritate nomen habet, munere chirurgi adiutorii fungerer, oblatata mihi est occasio, inter plurimos aegrotos et illam invisendi, cuius historia sequentibus pagellis enarratur. Sectionem cadaveris defunctae praesente Cel. Dr. Sinogowitz, medico nosocomii, institntui omnemque rem sat memorabilem duxi, quae, cum more maiorum dissertationem exhibendi mihi officium esset, publicaretur.

Si autem, benevole lector, nonnulla, vel non accuratissime cogitasse, vel non satis apte

scripsisse tibi videbor: non modo rei minorem
peritiam, sed etiam stylo utendi rudius exercitium
benigne, quaeso, indulgeas tironi, qui haec urgente
tantummodo tempore neque infrequenti inter-
veniente impedimento scribere potuit.

Cam in noscitur magno Bostoniensi, quod a
Gallia nomen habet, in quo dicitur auctoritas
linguae, oblatas nihil est, inter plures
exteros et illam inveniendi, cuius historia sequitur.
Saepe pagella enarratur. Sectionem cadaveris de-
finitae praesente Gel. Dr. Sinigowicz, medico no-
tissimo, instituiti omnemque rem ad memora-
tionem duxi, quae, cum nota historiae de sectione
non exhibendi mihi officina esset, publicata.
Si senus habeat lector, nannulla, vel non
scurritissime cogitare, vel non esse esse

H i s t o r i a m o r b o .

Christiana Düring tringinta novem annos nata, aetate infantili glandularum submaxillarium et cervicalium intumescentiis tineaque capitis laboraverat, quae vero scrophulosi morbi symptomata, mensibus duodecimo iamiam vitae anno absque molestia abortis, paulatim disparuerunt.

Decimo tertio anno currus citatus super coram eius ferebatur, ita ut caput fortiter contunderetur: non meminerat vero, an statim post laesionem sui compos fuerit, nec ne, se tamen per tres dies aegrotasse bene recordata est.

Hunc casum et laesionem capitis paralysis musculorum faciei ad sinistram partem caecitasque oculi sinistri 1) sequebatur, ceterum perfecta sa-

Oculus caecus ultimo vitae tempore hancce prae se ferebat formam: Coniunctiva tumida turbidaque

nitatis redibat et bona posthac semper valetudine illa gaudebat, si excipias dolores capitis nonnunquam ipsam vexantes et nimiam animi quandam incitabilitatem; erat enim aetate iuvenili animi perturbationibus valde obnoxia.

Vicesimo octavo vitae anno nupta viro graviditatem mox orientem aequae ac partum absque insigni molestia atque iniuria corporis superabat, iterum autem gravida facta et durante graviditate et in puerperio saepius in iracundiam versa animique crebris perturbationibus percussa est.

Hanc accusat causam spasmodum, qui abhinc eam vexare coeperunt.

Horum vero spasmodum haec erat species: vehementissime tremore convulsivo, mentis non compos concidebat aegrotans et duodecima circiter horae parte praeterlapsa denique ad se redibat, quae affectiones epilepticae proximo quidem tempore indies paene revertebant; tamen paulatim rariores reddebantur, ita ut aegrotans per plures

plicam exhibebat, quae ex infimo corneae marginis originem ducens dimidiam eius circiter partem abscondebatur et linteolo removeri poterat; pupilla huius oculi autem nequaquam erat dilatata, uti in oculo amaurotico esse solet; sed eodem modo, ac in altero contracta, et facultas cernendi in eo perpetentim imminuta est, donec tandem plane extingueretur.

nses nonnunquam libera maneret, quamvis in-
per effrenata esset spirituosorum amatrix.

Anno vitae denique tricesimo nono spasmi
rigerio, uti aegrota credidit, crebriores facti
ex cum paralyti brachii pedisque dextri compli-
antur; brachium ex hoc tempore omni sensu
motu carebat, pede vero adhuc poterat uti at-
e nonnihil eo sentiebat; — sed quod memoratu
num videtur, spasms nunc indies semel sal-
a redeuntibus, extremitates paralyti affectae, ae-
e ac sanae, movebantur, hoc vero dici non li-
de parte faciei sinistra; convulsiones enim
musculorum dextrae eius partis longe fortiores
aper erant, quam sinistrae.

Ex eodem circiter tempore et catamoenia sup-
mebantur, abdomen paululum tumidum saepe-
mero dolebat et integerrimo fere semper cibo-
n appetitu immodica facta aegrota nonnunquam
nebat; semel aponia laborabat, imo aliquam-
facultate carebat, loquendi; semper tamen
t spasmorum insultus sui compos erat
utibusque manus sanae, quid vellet, indicare
rabatur seque vertigini abnoxiam esse.

Tali modo spasms indies aut alternis diebus
eertentibus sex circiter hebdomades praeteribant;
m autem subito concidebat, omni sensuum usu
vata, facie et extremitatibus ex caeruleo ruben-

tibus, respiratione fere stertorosa, pulsu duro, pleno parumque iustam frequentiam superante, sine ullo tamen motu musculari; venae sectione vero sat larga instituta - etenim consttutione erat plethorica atque robustiori-aegrota ad se redibat; ex hoc autem tempore non semel indies, sed sexis et ultra spasmis corripiebatur; integra ceterum ciborum appetentia, spasmisque deficientibus sana mente gaudebat, somno tantum mediocriter placido fruens, cum interim sinistra auris magis magisque surdesceret, neque minus difficultate quadam loquendi quam vertigine semper aegra gravaretur.

Decem diebus hoc modo praeterlapsis, post immodicam et nimis celerem ciborum assumptionem vomitus exoriebatur, quem mox superiori similis adgressio apoplectica secuta est, quae sanguinis e vena missionibus aliisque remediis frustra adhibitis cito aegrotam interfecit.

S e c t i o c a d a v e r i s.

Primum cavitationem cranii more consueto aperui, tunc dura matre eodem modo remota, cerebrum centro semiovali Vieussenii tenuis abscidi, deinde ventriculos partesque vicinas, postremo vero, reli-

is encephali cranio solutis, basin eius tentavi
hoc modo singulas partes tales inveni:

Durae matris vasa posteriora valde sanguine
pleta erant, multo minus anteriora et ea, quae
e matri insunt; gyri cerebri mirum in modum
in norma recedentes non intrabant in cerebrum,
et solemne est, sed tantummodo lineis griseis sig-
nificabantur: quo factum est, ut substantia me-
dullaris ubique valde aucta appareret, praecipue
in centro semiovali Vieussenii ad hemis-
spherium sinistrum, quod vix tenui limbo sub-
stantiae corticalis circumdabatur; illius vero dimi-
di et anterior pars tumida fluctuansque prorum-
bat, anteriore cerebri superficie eiusdem lateris
recessa; caput enim paulum erat reclinatum
et fluctuationem exhibens centrum semio-
vali Vieussenii hoc in loco propellabat et anterio-
rem cerebri superficiem attrahebat, cum hemis-
spherii pars superior resistens demta esset.

In ventriculo laterali dextro, quem prius quam
sinistram tumoremque istum tentaveram,
preter magnam aquae copiam haud ulla abnor-
malitas poterat detegi, ad ventriculum sinistrum
in loco consueto, id est per medium hemis-
spherium iuxta corpus callosum penetrare non
poterat; sed in posteriore et corpori calloso paulu-
m adversa parte tantummodo cornu ab ventri-
culo descendens, ut quoque posterius, utrumque

integrum aqua vero plenum inveni, ceterum de thalamo nervi optici huius lateris parva modo et postica pars atque de corpore striato nihil omnino poterat distingui; totum enim fere medium ventriculi cavum destructum et oblitteratum erat.

Ex tumore isto nunc in centro semiovali Vieussenii aperto magna vis massae alicuius albae seroso-gelatinosae prorumpibat, quae nulli rei melius comparari posse mihi videbatur, quam telae cellulosae hydropicae: si enim cerebri substantia hydropica reddi posset, talem sane consistentiam acquirere ipsam debere mihi persuasum habeo. Iam etiam substantia in centri semiovalis regione anteriore altera mollior erat moltitiesque paulatim augebatur; attamen parva substantiae corticalis pars consistentia normalem fere superante praedita erat, ita ut massa ista posset extrahi et tunc appareret cavitas inaequalis, forma irregularis. Cornu anterius totumque fere medium ventriculum partesque in his iacentes morbus deleverat et in eo loco, ubi thalamus nervi optici sinistri situs esse debebat, tres tumores subrotundi steatomatosi inveniebantur, quorum unus nuce avellana maior erat, reliquis parum minoribus. Substantia tumorum descriptorum intus ex albo flavescentium in se ipsa aequalis erat et adipi spisso similis, prope marginem vero cir-

lum punctorum rubrorum ostendebat. Cystis, qua substantia illa includebatur, ex duabus membranis constabat, quarum interna tumorem circumdans ipsa etiam ab externa villosa circumdabatur. Ea thalami nervi optici pars, quae partem sinistram ventriculi tertii exhibet, lamellae adhaerens aderat; corpus autem callosum, fornix, ventriculus tertius, glandula pinealis, eminentia quadrigemina ventriculusque quartus nullam anormiam ostendebant.

In basi cerebri gyri tales erant, quales supra descripsi atque etiam in cerebelli tota superficie aequae minus arboris vitae ramificationes multo subtiliores, quam solito.

Ex nervis e basi encephali originem ducentibus nervi optici eorumque chiasma tam forma quam structura a norma declinabant; tetragonum nempe chiasmatis a postica ad anticam partem in quadratum oblongum protractum erat, nervusque opticus sinister in utroque illo chiasmatis latere collocatus et mollis, dextro autem rotundo satisque duro; mollior etiam chiasmatis sinistra pars, quam extra eodemque modo et pontis Varolii sinistra pars mollior videbatur esse quam dextra.

Ceterum medulla oblongata et ea medullae spinalis pars, quam ex cavitate cranii cernere licet, (cavitatem enim medullam spinalem continentem non aperui) aequae, ac origines reliquae

nervorum in basi encephali, quas tamen non accuratissime tentavisse deleo, nullam prae se ferre videbantur anomaliam.

In cavitate thoracis pulmo sinister pluribus in locis cum pleura costali cohaerebat et substantia ipsius aliquantulum marcida erat valdeque sanguine repleta, dextro plane integro; pericardium plus, quam solet, aquae ac uterque cordis ventriculus sanguinem atrum fluidumque continebat.

In cavitate abdominis lobus hepatis dexter magis, quam par est, ad regionem iliacam dextram tendebat; splen marcidus erat, ventriculus et colon transversum magnam aëris vim continebant colique transversi sinistra pars ad pelvim usque depressa conspiciebatur.

Morbi aetiologia.

Aegrota scrophuloso morbo laboraverat; post laesionem istam vero, morbi huiusce symptomatibus externis iamiam evanescentibus, prima morbi encephali symptomata demum observabantur; attamen anne nihilominus cum hoc morbo ille causaliter cohaeserit, videndum est; non sufficit enim scire, symptomata eius externa disparuisse; nam saepenumero quoque ulcus scrophulosum aut scrophulosa ophthalmia omnibus iam reliquis scrophulosi morbi signis deficientibus, exstitit: quamo-

tiam, ut scrophulosa cerebri affectio sola reman-
erit, facile fieri potest. Spectemus igitur, qui-
am scrophulosi morbi in encephalum sit effec-
as, et deinde comparemus phaenomena cum iis,
nae in funeris extispicio observavimus.

1.

Quaenam scrophulosi morbi in ence-
phalum sit efficatia?

Quum morbus scrophulosus potissimum sy-
stema reproductivum occupet et in hoc eius
functionibus mutandis et alienandis agat; quum
vero nutritione sana tantummodo forma et mixtio
organorum integra servari possit, iamiam a priori
concludere licet, eum encephali mixtionem et se-
cundum maiorem vel minorem gradum formam
quoque anomalam reddere debere, quod etiam ex-
perientia affirmatur; hoc eum modo semper in
scrophulosis functionum mentis abnormitates exi-
ere solent, sive quod saepius accidit, praema-
tura eius ovolutio fiat, sive, quamvis rarius, stu-
por mentis oriatur, eodemque modo etiam ano-
mala infantibus scrophulosis peculiaris calvariae
deformatio et rachiticum sic dictum substantiae
encephali augmentum enascitur. 1)

1) Meckels Handbuch der menschlichen Anatomie. B. 3.
S. 594.

Non solum vero haec anomalia processus vegetationis encephalum ipsum mutat, sed etiam in cavitate cranii nova effert, ut aquae accumulationes, aut in ventriculis cerebri, aut in eius involucri et scrophulas in substantia encephali ipsius. 1)

2.

Comparatio phaenomenorum, quae in corpore mortuo aegrotae nostrae inveni, cum iis, quae morbo scrophuloso efficiuntur.

a) Substantiae augmentum inveni et tantum quidem, ut formam gyrorum normalem plane delevisset. Merat casus mentionem fecit, in quo simile augmentum eandemque fere sulcorum in gyris apparitionem apud puerum scrophulosum quatuordecim annorum observavit.

b) Aquae accumulationem in ventriculis cerebri lateralibus, quam etiam alias saepe numero scrophulosi cerebri affectionis symptoma esse agnovimus;

c) denique vero tales tumores in substantia cerebri reperi, quales Merat descripsit: in medulla

1) Reil. Scrophulae encephali in mem. clin. Vol. II. Fasc. I. No. II. et Merat Journal de Medic. par Cor-sivart etc. Vol. X.

ablongata et cerebello animadversos, et qui ab
pso atque Meckelio scrophulae habentur. Nunc
igitur solummodo superest, ut originem massae
stius feroso gelatinosae perscruter, quod forsari
essequar, si nunc investigem.

3.

Quinam istius contusionis capitis in
cerebrum effectus fuerit.

Ex sequelis proximis, ex eo nempe, quod
aegrotata per plures dies post laesionem affectione
laboraverat, e paralyti musculorum faciei ad sini-
stram partem subsequente et tandem e diminuta
subito facultate videndi oculi sinistri iam colligi
licet, ni penitus fallor, ipsa laesione cerebrum
commotum fuisse. Commotio cerebri vero (aeque
et alius visceris) substantiae cohaesionem debilitat
et ita semper per aliquod tempus functionem eius
collit; deinde autem aut moritur homo, si com-
motio substantiae totius vel maximae eius partis
santa est, ut vi naturae medicatrici ipsa tolli non
possit; aut restituitur sanitas turbata, si debilitas
materiae aliqua in parte talem gradum attigit,
qualem reactio vitalis non potest superare, ita ut
cohaesio et vis eius normalis revertat; (non lo-
quor enim de his laesionibus, quae cum commo-
tione cerebri coniunctae esse possunt, uti rup-
turae vasorum, ossium cranii fracturae earum-
que sequelae, sed tantummodo de commo-

tione qua tali) aut redit sanitas integra, si reactioni vitali contigerat, ut toti organo cohaesionem et vim normalem rursus redderet.

Hoc in casu sanitas integra non restituebatur sed remanebat paralysis musculorum faciei ad partem sinistram, et amblyopia oculi sinistri: id quod probat normalem vim in omni cerebro non fuisse restitutam; nec omnino dubitandum esse credo: istam in anteriore hemisphaerii sinistri parte destructionem ex commotione originem duxisse: ita ut tam debilitante commotionis effectu, quam reactione vitali inflammatoria dissolutio massae, sola vero reactione inflammatoria durities parietum cavitatis istius produceretur. Attamen destructionem illam deficiente scrophulosa cerebri affectione exorituram non fuisse existimo, neque minus commotionem illam, quum cerebrum infirmum redderet, omnibus autem morbis, ut iam Celsus dicit, infirmitas maxime obnoxia sit, morbi scrophulosi in encephalo evolutionem adiuvasse,

Mollitiem nervi optici lateris sinistri et chiasmatis pontisque Varolii ex haemisphaerii vitio derivandam esse persuasum habeo.

Deductio phaenomenorum.

Encephalum scrophuloso morbo fuerat adfectum et ex hac affactione derivari potest nimia

ta animi incitabilitas; deinde vero cerebrum ita affectum commotio invaserat et ex commotione paralysis musculorum faciei ad sinistram partem amblyopia oculi sinistri orta erat, quae non modo destructione, quam ex commotione et re- tione organismi inflammatoria originem duxisse existimus, sed etiam incremento scrophularum ce- bri supra descriptarum ad caecitatem usque au- batur; dolores capitis et vertigines, quibus ae- cota saepenumero obnoxia fuit, ex eodem fonte ita esse nemini dubium erit. Quantam vero ille cerebri vitium ad omnes nervosi generis morbos proclivitatem gignat, facile intelligitur, neque minus, quomodo hancobrem aegrota post animi pathemata, in quibus durante puerperio, non omnibus morbis foeto, versata est, spasms erripi potuerit. Minime vero dixerim causam casmorum proximam in illo cerebri morbo or- nico esse quaerendam, sed potius solummodo rum praedisponentem, et causam proximam morbum crediderim esse dynamicum totius syste- matis nervosi, cuius ulteriori indagationi paulu- am animum advertamus.

Equidem bene intelligo, me de hac re non ita, sed tantummodo veri similia quaedam pro- rre posse. Antequam vero id a me fiat, quid , quod in nervis agat, scirem necesse fuerit: rum inponderabile quoddam? an mutabilis sub-

stantiae nervorum oxydatio? an vero alia incognita adhuc vis? Sed quodcumque illud demum sit, cum indies tantam et tam subitanam, praecipue apud aegrotas phaenomenorum mutabilitatem in spasmorum accessibus viderem et phaenomena ipsa contemplerer, non poteram, quin crederem causam ipsorum proximam inaequalem principii, quod in nervoso systemate agat, distributionem esse, ita ut in una huiusce systematis parte quasi accumulatum sit, atque ut, excedente in aliqua parte actione, eadem in reliquis quoad gradum diminuatur aut omnino tollatur. Saepenumero enim puellas nervorum rigore correptas universali (i. e. in musculis voluntati obedientibus regnante) concidentes vidi, omni sensuum usu privatas; deinde vero spasmis universalibus sublatis subito thoracis spasticas affectiones intrantes, sensuumque usum redeuntem, facultatem autem eundi diminutam; spasmos vero thoracis cum spasmis colli alternantes, aut illis amotis, spasmos collicos aegrotas vexantes, qui demum aut spasmis clonicis universalibus, cum sensuum defectu semper conjunctis, solvebantur aut stadium maniacum relinquebant, quod postremo nervorum distensione universali revertente desiit animum occupare. Symptomatum vero series etiam semper erat variabilis.

Quae omnia phaenomena ex anomala et in-

aequali principii, quod in nervoso systemate agat, distributione declarari posse, imo huius distributionis opinionem ipsam defendere mihi videntur.

Ne vero quis credat, me Choream Sancti Viti ut tremorem artuum debilitatorum oblitum esse; has enim anomalas musculorum motiones omnino non cum iis, de quibus modo locutus sum, confundi debere credo. — Sed longe iam aberravimus; quapropter redeamus ad aegrotam nostram, in qua ad talem systematis nervosi actionem inaequalem auxit praedispositionem, non solum morbus encephali, verum etiam puerperium, quia hoc iam virium vitalium distributionem facile anomalam reddidit; causam autem occasionalem sane animi perturbatio praebuit. Nihil enim saepius, quam animi perturbationes, spasmos, si iam ad eiusmodi affectiones proclivitas adest, provocat et ex his saepissime ira, praecipue ira suppressa. Ira magnum cerebro irritamentum est, et nisi verbis actionibusve voluntariis exprimitur, facile hypererethismus cerebri intrat, cerebri imperium amittit et muscoli nunc valde incitabiles libenter obediunt nervorum incitatorum irritamento.

Ex modo de causa spasmorum proxima dictis cognoscitur quoque, quomodo muscoli paralyti affecti aequae ac ceteri in spasmorum accessibus apud aegrotam nostram moveri potuerint.

Paralysin vero extremitatum dextrarum etiam ex cerebri vitio originem duxisse non dubitandum, siquidem notum est, fibras medullae spinalis sub nervi hypoglossi origine decussari 1) et hoc modo iam affectiones cerebri ab hemisphaerio sinistro ad extremitates dextras et ab hemisphaerio dextro ad sinistras agere debere, ex eodemque fonte kophosin, qua aegrotae ultimis vitae temporibus laborabat, derivandam esse.

Quomodo denique sub his conditionibus apoplexia in aegrotata nostra potuerit oriri, dum vomebat, satis liquet.

E p i c r i s i s.

Hic casus quodammodo ad eos pertinet, qui in observatorum serie, quamvis rarius inveniantur, valde tamen contra sententias nonnullorum auctorum, praecipue vero contra proposita quaedam novissima medici Gallorum Flourentis pugnant; non sufficit enim dicere, eos ob raritatem parum, aut nihil certioris lucis scientiae afferre; quia eiusmodi dicto ipsorum existentia neque declaratur neque satis excusatur; imo potius fieri non potest, quin agnoscantur.

1) Sömmering vom Bau des menschlichen Körpers. 5. Thl. §. 79. — Meckel Handbuch der menschlichen Anatomie. 3. Bd. S. 44. et porro.

Quae vero et ex hoc a me observato illustrentur, ea explorare nunc sum tentaturus.

Quid praeprimis dicam de gyrorum usu, qui hoc in casu lineis griseis tantummodo significabantur omninoque in cerebri substantiam non intrabant? hoc sane dici posse credo: gyros ad animi functiones exserendas magni momenti non esse eorumque opinionem, qui gyris sedem virium mentalium inesse sibi persuasum habent, illud observatum non affirmare, sed potius labefactare; nam aegrota nostra nullam animi alienationem durante vita ostendebat.

Si autem destructionem illam cerebri organicam contemplamur eiusque sequelas, facile liquet:

Flourentis propositum quod experimentis, quae in animalibus instituerat, investigavit, et quod his verbis in libro eius 1) a doctore G. W. Beckero in linguam Germanicam verso invenitur, pag. 107:

„Hirnlappen, kleines Gehirn, vereinte Hügel haben eine sich kreuzende Wirkung.“

omni conditione sublata non posse accipi; nam hoc in casu musculi extremitatum dextrarum et musculi faciei partis sinistrae paralyti affecti sunt, aurisque eiusdem lateris, in quo vitium sedem

1) Flourens Recherches experimentales sur les Propriétés et les Fonctions du Système nerveux dans les animaux vertébrés.

habebat, surda reddita est atque etiam oculus eiusdem lateris coecus factus: id quod vehementer pugnat contra propositum aliud, quod irrefutabilibus conclusionibus ab [eiusdem libri auctore adnumeratur pag: 51.

„Mit dem Verlust eines einzigen Hirnlappens ist auch Verlust der Sehkraft im entgegengesetzten Auge da“ —

causam vero huius coecitatis in hemisphaerio sinistro sitam fuisse, haecce argumenta affirmant:

1. Totus nervus opticus sinister non solum mollis fuit et collapsus, altero normali existente; sed etiam sinistra chiasmatis pars mollior dextra; deinde quoque

2. structura et forma thalami nervi optici omniumque internarum hemisphaerii dextri partium et corporum quadrigeminorum normalis fuit; postremo

3. nemo erit qui contendat: talem cerebri destructionem absque effectu in facultatem videndi existere potuisse.

Ceterum autem hoc unicum exemplum non est, quod contra istud propositum pugnet, siquidem Rudolphi noster illustrissimus optimusque naturae perscrutator, casum quoque observavit et descripsit 1) in quo oculus dexter, nervusque

1) Abhandlungen der physikal. Klasse der Königl. Pr. Akademie der Wissenschaften a. d. Jahren 1814-15.

opticus dexter omnino deerat; rudimentum tantummodo huiusce ex thalamo eiusdem lateris, iam etiam et situ et magnitudine a norma recedente prodibat, sed mox rursus in cerebri substantiam intrabat, oculo sinistro partibusque in hemisphaerio sinistro iacentibus normali modo constructis. Tum vero etiam exemplum in libro medici Rochoux 1) est enarratum, ubi vitio corporis striati in hemisphaerio dextro praesente, oculus eiusdem lateris amaurosi affectus erat, paralysi autem musculi extremitatum sinistrarum.

Demonstrat porro et hic casus quod praecedentes; nervos opticos in ipsorum chiasmate non ex toto decussari: ista enim magna lobi cerebri anterioris ad latus sinistrum destructio absque ullo effectum in oculum dextrum exstitit: aegrotata nostra oculo dextro optime potuerat uti, nervusque opticus dexter in utraque chiasmatis parte nullam anomaliam ostendebat; quamvis sinister ad posteriorem et ad anteriorem chiasmatis partem mollis et collapsus inveniretur.

Praeterea autem Flourens in libro suo pag. 137. proposuit:

„Es giebt zwei Arten, in der Gehirnmasse das Sehen aufzuheben; die eine besteht in Wegnahme der vereinten Körper, wodurch man

1) Recherches sur l'Apoplexie,

die Sehnerven tödtet und damit, auch die Netzhaut und Regenbogenhaut. Die andere, die Wegnahme der Hirnlappen, tödtet weder Sehnerven, noch Iris, noch Netzhaut; aber das Organ, wo sich die Wirkung der Iris, der Netzhaut, der Sehnerven concentirt und zur Empfindung umwandelt“ —

quod adsertum casus noster quodammodo affirmare videtur: oculus enim sinister carebat quidem videndi, sed minime iris sese contrahendi facultate et causa huiusce anomaliae in lobo cerebri sinistro sita erat, non in corporibus quadrigeminis, nam haec normalia inveniebatur.

Minus vero id casu praesente affirmatur, quod in eodem libro est pag: 84:

„Die Gehirnlappen sind der Sitz der Triebe etc.“

Flourens nempe observavit: eas, gallinas, quibus alterutrum cerebri lobum exciderat neque ciborum neque galli appetentiam ostendere et ex hoc phaenomeno collegit lobos cerebri cupiditatum vel instinctuum sedes esse, sed ane extractio unius vel utriusque lobi etiam effectum magnum in reliquis encephali partes habeat quibus adeo conjunctus, nunc subito seiungitur? nonne ex laesione harum partium subsequente phaenomena orta fuerint, quorum causam in loborum deletionem ille quaesivit? nam hoc in casu tanta lobi

sinistri destructione praesente ciborum appetitus supra modum auctus: semper adfuit neque defuit instinctus sexus: siquidem aegrota nostra bis peperit et ultimis vitae mensibus adhuc gravidam sese credebat esse.

Sed haec hactenus.

Mirandum sane est tatum encephali vitium, tantam lobi sinistri destructionem tantamque substantiae corticalis diminutionem medullarisque tantum augmentum imo corporum alienorum, aequalia tamen scrophulae erant, in massam cerebri nullum effectum, absque mentis alienatione existere potuisse. Ne minima quidem functionum mentalium anomalia in aegrota nostra potuerat detegi; ipsi enim neque reminiscendi neque combinandi neque iudicandi facultas secundum eum, quo gaudebat mentis cultum integra defuit; quamvis iam per longum tempus spasmis laboraverat; et hic casus ad eos numerandus est; qui demonstrant: normalitatem functionum mentis a cerebri formae integritate sola, parum dependere aliasque conditiones hanc ob rem existere debere, quae per se mentis functionum abnormitates producere valeant. Equidem crediderim: eiusmodi cerebri destructiones vel vitia, quae in defunctis inveniuntur, qui in vesania versati erant, nunquam causam vesaniae, sed causae effectum, aut causae causam fuisse causamque vesaniae magis dynamicam

et ei quidem similem esse, quam spasmis subesse me existimare dixi: inaequalem nimirum virium systematis nervosi distributionem, ita tamen, ut in vesania non periphericae partis, sed centralium quarumdam systematis nervosi partium functio normam transgrediatur et in hoc statu permaneat. Quam opinionem et causae remotae vesaniae et phaenomena in aegrotis vesania laborantibus observata aequae ac remedia in hos morbos efficacissima neque minus tandem vesaniae cum spasmis propinquitas, quam tanta ista horum aegrotorum ad apoplexiam proclivitas adjuvare videntur.

Simili modo, quo spasmi simulati in veros saepe numero transibant, idea saepius et fortiter cogitata nonnunquam fixa facta est et ex ira mania atque ex sollicitudine melancholia orta. Saepissime porro in talibus aegrotis luculenter actio peripherica systematis nervosi diminuta invenitur: aegroti frigus, calorem, superfusiones frigidissimas, setacea aliaque remedia dolorifera absque molestia ferunt, saporem odoremque plane fere amittunt: cibos qualescunque deglutiunt et libenter excrementis suis contrectandis occupantur, vel omnium ciborum appetitu carent, et nihil omnino nisi coacti assumunt etc. Denique autem et omnia remedia, quae his in morbis secundum experientiam efficacissima sunt, modo derivatorio agere haud dubia sane rei consideratione comprobatur.

CURRICULUM VITAE

Godofredus ego Henricus Schneider anno 1800
 Idibus Septembribus Gomerni patre optimo chi-
 rurgo forensi et matre carissima e gente Roeme-
 riana natus postea Barbium cum parentibus trans-
 ductus scholas publicas huius oppidi ex sexto vi-
 tae anno frequentavi linguisque veteribus, atque
 aliis doctrinis ad animi vultum pertinentibus pri-
 vatim a viris clarissimis Kuhnio, Magnero et aliis
 quibus semper gratias maximas habeo summo
 studio sum imbutus.

Anno 1814 in nosocomio militari tunc tem-
 poris Barbii instituto a patre, qui munere medici
 primarii ibi fungebatur, primas chirurgiae practi-
 cae instructiones accepi, quo facto in Regis nostri
 clementissimi exercitu chirurgi munus per annum
 fere integrum administravi; postea vero ad paren-
 tes redux rursus litteris vacavi scholasticis. Qui-
 bus cum haud invitus operam navassem, conti-
 git mihi, ut alumnorum, qui in Academia chi-
 rurgico medica militari medicinae scientiam edo-
 centur, adscriberer, ubi per annum et dimidium
 sum eruditus, quo temporis spatio elapso in Se-
 minarium Regium medico-chirurgicum Friderico-
 Guilielmianum receptus per tres annos continuos
 iisdem studiis operam dedi, hisque omnino, quae
 modo designandae erunt, Professorum praelectio-
 nibus interfui. Docuerunt me vero, Cel. Wolf
 philosophica; Illustr. Hermstaedt et Cel. Turte:

physicam, chemiam et pharmaciam; botanicam et historiam naturalium Illustr. Link; anatomiam theoreticam et practicam Ill. Rudolphi et Knape; entozoorum historiam naturalem, anatomiam organorum sensuum et encyclopaediam medicam, physiologiam et anatomiam comparatam Ill. Rudolphi; physiologiam Cel. Eck; pathologiam generalem et specialem, semioticam et therapiam generalem et specialem, Ill: Guil Hufeland, Ill. Horn et Cel. Christ. Hufeland; materiam medicam atque notitiam fontium medicamentorum Cel. Osan; chirurgiam tam generalem quam specialem nec non akiurgiam Ill. Graefe, Ill. Rust et Cel. Kluge; fasciarum applicandarum artem postremum, cognoscendi et curandi ossa fracta atque luxata facultatem ut et artem obstetriciam Cel. Kluge. Clinicis exercitationibus medicis ac chirurgicis virorum Ill. Hufeland, Rust, Neumann et Kluge interfui. Nunc vero cum per annum integrum medici adiutorii in nosocomio Berolinensi, cui Caritatis nomen inditum est, functus sim, ad ulteriora, ad quae sive propria voluntas, sive officia civitati debita vel adipiscenda, vel obeunda adigunt, procedere in mente habeo.

THESES DEFENDENDAE.

1. Imagines retinam non inversae afficiunt.
 2. Cuicumque inflammationi dyscrasia subest.
 3. Morbi humorum primarii non existunt.
 4. Sola cordis vis ad sanguinis circuitum absolvendum sufficit.
-



